

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput Cl. Continens Christi Concionem, Du Sua Persona Et Offico, Habitam
In Gazophylacio Templi. Joan. 8. v. 12.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

CAPUT CI.

CONTINENS CHRISTI CONCIONEM, DE SUA PERSONA ET OFFICIO, HABITAM IN GAZOPHYLACIO TEMPLI.

JOAN. 8. v. 12.

RATIO ORDINIS.

Quod hæc concio superiora sequatur, neque quicquam in reliquis Evangelistis inveniatur, quod interponi possit, per se planum & manifestum est, si tantum hoc obseretur, quod illa, quæ Johann. 8. describuntur, non omnia continuo eodem die, sed successivis diebus facta sint. Discesserant enim Scribæ & Pharisei ante adulteræ absolutionem: hic verò cum iisdem præsentibus disputat. Ergo particula *mali rursus*, significat, quod alio tempore, post absolutionem adulteræ, cœperit populo & Phariseis concionari de sua persona, quod habeat patrem DEUM, & quod sit unius cum DEO essentia? & tamen sit distincta persona, ita ut duo sint, Pater

mittens & Filius missus: & quod qui novit Patrem, norit etiam filium. Ergo sunt *ομούροι*. Ita ut hic locus plurimum valeat, contra errores Sabellii & Arianorum: quorum ille personarum pluralitatem, hi earundem æqualitatem negarunt. Concionatur quoque de suo officio, quod sit missus à Patre, ut sit lux mundi, qui totus in tenebris jaceat, qui etiam testetur de veritate, quod testimonium suum verum sit. Qui denique redeat ad patrem, & quando ipse constitutus orbis judex, sit judicatus, tum etiam suum judicium verum futurum. Est itaque hic locus consideratione dignissimus, quia compendiosè totam Christi cognitionem complectitur. Et hæc acta sunt circa templum in gazophylacio.

CONCIO CHRISTI DE SUA PERSONA ET OFFICIO.

JOAN. 8.

12. Πάλιν δὲ ὁ Ἰησοῦς αὐτοῖς ἐλάλησε, λέγων Ἐγώ εἰμί ὁ Φαρισαῖος καὶ οὐκολεθῶν ἐμοί, ἐμὴν ἀπέπειθον σὺ τῇ σκοτίᾳ, αὐτὸν ἔχει τὸ φῶς τὸ μόνον.
13. Εἶπον δὲν αὐτῷ οἱ Φαρισαῖοι· Σὺ τέλος σεαυτὸν μαρτυρεῖς, οὐ μαρτυρεῖς σε σὺ τέλος εἶναι ἀλλαγῆς.
14. Απεκρίθη Ἰησοῦς καὶ απέν αὐτοῖς καὶ ἐγὼ μαρτυρῶ τὸν ἑμαυτόν, αὐλητὴς δὲν ἡ μαρτυρία με. Οὐδὲν οἶδα ποθεν ἥλθον, καὶ ποτὲ ξαπίγω. οὐδὲν δὲν οἶδα ποθεν ἔρχομαι, καὶ ποτὲ ξαπίγω.
15. Τιμᾶς καὶ τὸ σύριγμα κρίνεται, ἐγὼ δὲν κρίνω εδέναι.

16. Καὶ ἐστὶν οὐδὲν ἐγώ, οὐ προστις ἐστὶν αὐτὸν ἀληθῆς δύναν, ὅπι μόνον τὸν εἰμι, αὐτὸν ἐγὼ οὐ περιέψοις με πατητο.
17. Καὶ σὺ τῷ νομῷ ἡ τῷ μητέρῳ γέρχομαι· οὐδὲν αὐτὸν θράψων μαρτυρίαν αὐλητῆς δύναν.
18. Εγώ εἰμι ὁ μαρτυρῶν τὸν ἑμαυτόν, οὐδὲν μαρτυρεῖ τὸν ἑμέραν με πεμψόν με πατητο.
19. Εἰλεγον δὲν αὐτῷ· Ποῦ δὲν ἐπατήσους; Απεκρίθη ὁ Ἰησοῦς· Εὔτε ἐμὲ οἴδατε, εὔτε τὸ πατέρα με εἰς ἐρέτε, οὐτὶ πατέρα με ηδέτε αὐτόν.
20. Ταῦτα περιμάσας ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐν τῷ γαλileῳ Φυλακίᾳ, πιλάσκων σὺ τῷ ιερῷ καὶ ἔδεις ἐπιστρέναι τούτην, ὅπι ἔπειληρυθρὰς αὐτός.

12. Iterum ergo Ἰησοῦς locutus est eis, dicens: Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambalat in tenebris, sed habet lumen vite.
13. Dixerunt ergo οἱ Φαρισαῖοι. Tu de te ipso testimoniis, testimonium tuum non est verum.
14. Respondit Ἰησοῦς, οὐ dixit eis: Etsi ego testimonium perhibeam de meipso, verum est testimonium meum, quia novi unde veni, οὐ quo vado, vos autem nescitis, unde venio, οὐ quo vado.
15. Vos secundum carnem judicatis: Ego non judico quemquam.
16. Etsi judicem ego, judicium meum verum est. Quia solus non sum, sed ego, οὐ qui misit me, Pater.
17. Quin οὐ in lege vestra scriptum est, quod duorum hominum testimonium verum est.
18. Ego sum, qui testimonium seruo de meipso, οὐ testimonium fert de me, qui misit me, pater.
19. Dicebant ergo ei: Ibi est Pater tuus? Respondit Ἰησοῦς: Νέδη με νοστί, οὐδὲν Πατrem meam: si me novissetis οὐ Πατrem meum novisseris.
20. Hec verba locutus est Ἰησοῦς in gazophylacio, docens in templo: Et nemo apprehendit eum, quod nondum venerat hora ejus.

Perioda hujus Concionis.

Christum Servatorem justas ad populum habuit. Cisla conciones dubium est nullum. Evangelista autem breves tantum earum summas annotavit: ac proinde decet singula ipsarum membrana tanta accuratius evolvere, enodare, expendere &

ad justam explicationem aliis proponere. Quod etiam pro virili facere hoc loco tentabimus: ita tamen, ne superflua afferamus.

I. Doctrinam de officio tuo Christus ipse his verbis proponit: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non



me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vita.
 1. Occasio hujus concionis hæc fuisse videtur. Quia nuper Nicodemus Joh. 7.v.51. in Concilio Pontifices & Pharisæos monuerat, legem non judicare hominem, nisi prius ipsum audierit, & cognoverit quid faciat. Ideo Pharisæi sequentibus diebus ipsi in templo ejus concionibus interesse & attendere voluerunt, an aliquid captare possent, de quo ipsum postea in synedrio accusarent. Christus ergo, qui alias observavit, quo animo auditores sequerentur & convenirent, hac concione eos informare voluit, & quis esset, & quid agere in mundo vellet. Cumque more suo summo diluculo, Joh. 8.v.2. aut mane admodum, Matth. 21.v.18. in templo ad docendum adesse soleret, oriente luce, inde occasionem sumbit de vera *luce* iplos instituendi. Sic enim solitus est ex re præsenti occasionses captare, suosque auditores, a mundanarum rerum objectis, ad spiritualium considerationes per parabolas deducere. Ita Joh. 4.v.13. occasione aquæ fontanæ, differit de vera aqua vita: Joh. 6.v.33. occasione manna disputat de pane cœlesti. Mat. 13.v.4. occasione sementis, quæ tum in Palæstina siebat, docet de diverso fructu prædicativerbi. Simili occasione *lucis* orientis, hic de se, vera *luce*, differit. Prodest ergo, etiam alios verbi ministros hunc Christi morem imitari, ut sic fidei sua creditos auditores à temporalibus rebus abstrahant, eorumque cogitationes ad spiritualia dirigant.

2. Si autem *lucis* hujus necessitatem simul & utilitatem agnoscere velimus, ante omnia lqualorem & horrorem *tenebrarum*, in quibus homines natura harentur: considerare decet. Scriptura autem per *tenebras* intelligit. 1. Ignorantium DEI & variis errores, Jef. 9.v.2. Omnigenam impietatem & peccata. Ideo Paulus Eph. 5.v.11. vult, ne Christiani communicent infrugiferis operibus tenebrarum. 3. Varias calamitates & adversa, in quæ homines ob tenebrarum opera incident. Pl. 112.v.4. Oritur in tenebris lumen rectis. 4. Loca inferorum & æterna tormenta, quæ etiam Ethnici obscura statuerunt, Matt. 8.v.12. Filii regni ejiciuntur in tenebras exteriores, ubi erit fleetus & stridor dentium. Matt. 22.v.13 & 25.v.30. Sic nimurum nobis ob oculos ponitur naturalis nostra miseria, in qua ob peccatum omnes hæremus. Quamprimum enim Adamus per lapsum à dignitate sua exedit, protinus imaginem DEI, in qua creatus fuerat, & cum ea divinam illam animæ sua lucem, qua ipsum DEUS donarat, amisit: & qualis ipse fuit, tales, etiam posteros genuit. Gen. 5.v.3. Unde jam naturalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus DEI. 1. Cor. 2.v.14. Circumfert autem in membris suis legem peccati, Rom. 7.v.23. quæ per pravas concupiscentias ipsum abripit, ut quantus quantus est, peccati servus fiat. Peccatis vero suis DEUM offendit, utis omnis generis adverſitabilis. & tandem ipsa morte hominem puniat. Stipendum enim peccati mors est. Rom. 6.v.23. Et nisi fiat liberatio, tandem Principi tenebrarum Eph. 6.v.12. Diabolo hominem adjudicat, ut ab illo perpetuis tormentis crucietur. Hanc miseriam humani generis, qui non agnoscit, intueatur miseras gentes, & perpendat, in quam tetros & abominandos errores de DEO ex ejus ignorantia inciderint: quam horrenda & nefanda facinora, sicut Paulus

etiam Rom. 1.v.26. recenset, perpetrarint: quantum quoque strages eos exceperint, & quam horribiles plerarumque, tum Chananæarum tum aliarum, fuerint interitus, donec tandem æterno interitus fuerint adjudicata. Ut recte de iis Apostolus Paulus pronunciarit, Eph. 4.v.17. Gentes ambularunt in vanitate sensus lui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita DEI per ignorantiam, quæ est in illis, propter cœcitatem cordis illorum, qui desperantes dediderunt feme ipsos impudicitia, in operatione omnis immunditia. Hanc tenebrarum mileriam qui vere agnoscit, ei lucis fruitio cum primis grata erit.

3. Ex his tenebrarum miseriis nemo nos liberare potuit, præterquam unicus DEI filius, Servator noster Jesus, qui hoc loco de seipso dicit: *Ego sum lux.* Et verè ipse lux est ab aeterno: quia verus DEUS. DEUS enim lux est: & tenebra in eo non sunt ullæ. 1. Joh. 1.v.5. Ipse est imago DEI in conspicui. Colos. 1. v.15. splendor gloria & character substantia ejus. Heb. 1.v.3. Nisi hic aeternus DEI filius occultis suis radiis hominum mentes perstringat, per spiritum suum suggestus, quæ julta sunt & salutaria, omnes in tenebris suis pereunt. Ideo Johannes de eo scriptit: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joh. 1.v.9. Idem DEI filius, de coelo descendens, humanam naturam induit, ut etiam in ea lux nostra esset, tum verbo tum exemplo. Sic igitur Christus *lux* est secundum utramque naturam, divinam & humanam: qui 1. cœlesti sua doctrina mentium caliginem & ignorantia nebulas abstergit, nosque salutari cognitione DEI, & eorum quæ ad salutem sunt necessaria, instruit. 2. Spiritu suo quoque non tantum peccatorum foeditatem ob oculos ponit, verum etiam ejusdem gratia nos permovet, ut peccatum fugere & odisse incipiamus. 3. Idem si per intercessionem ipsius cum cœlesti Patre reconciliati simus, conscientia terrores à nobis fugat, nostrisque mentes singulare sensu & gustu gratia divina mirifice recreat. Ut quemadmodum γλωσσα Φαρ. & dulce est solis lumen intueri: sic lux iustorum latificat. Prov. 13.v.9. Unde etiam pū Christi gratia illuminati, gloriantur in suis tribulationibus Rom. 5.v.3. quia sciunt diligentibus DEUM omnia cooperari ad bonum. Rom. 8.v.28. 4. Denique per obedientiam & meritum suum deducit nos ad inaccessibilem illam lucem, in qua DEUS habitat. 1. Tim. 6.v.16. ad beatam illam immortalitatem, in qua participatione DEI æterna gloria & felicitate fruemur. Hoc modo Christus verè est *lux* nostra. Quo respexit Paulus, dum nos hortatur Col. 1.v.12. ut gratias agamus DEO & Patri, qui dignos nos fecerit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuerit nos de potestate tenebrarum, & translulerit in regnum filii sui dilecti, quod est regnum lucis. Habet autem Christus etiam alias proprieates lucis, quæ de causa verè de seipso prædicare potuit, se esse *lucem*. 1. Lux est est adeo pura, ut nunquam ipsa polluantur, licet foedissima loca permeat: ita DEI filius, licet in mundum venerit, humanam carnem induerit, peccatoribus converſatur, imo inter latrones in monte calvariae suspensus fuerit, tamen sanctissimus & purissimus mansit. Hebr. 7.v.26. 2. Ut lux exoriens non modo ipsa cernitur, sed etiam facit, ut reliqua omnia cernantur: ita si Christus

Christus à quoquam videtur & agnoscitur, facit is, ut in ipsius eriam lumine videat lumen. Ps. 36. v. 10. 3. Lucem nemo odit, nisi fures, adulteri, scortatores & facinorosi, quia opera eorum sunt mala. Joh. 3. v. 20. ita Christum nemo odit, præterquam idololatri, superstitionis, phantaci, hæresiarchæ, & quotquot noxiis peccatorum morbis ita sunt dediti, ut ab eorum fœditate desistere nolint.

4. Est autem Christus *lux mundi*, hoc est, non Judeorum tantum, sed omnium omnis temporis, loci, ordinis & conditionis hominum. De eo DEUS ipse dixit. Jes. 42. v. 6. Dedi te in fœdus populi, & in *lucem gentium*. Et 49. v. 6. Parum est, ut simihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & feces Israel converterendas. Ecce, dedi te in *lucem gentium*, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. Zacharias quoque in suo Cantico cecinit; Luc. 1. v. 78. ipsum esse Orientem ex alto, ut illuminet eos qui sedent in tenebris, & in umbra mortis. Simeon autem magis disertè in ipso templo cecinit. Luc. 2. v. 32. quod puer JESUS sit paratum lumen ad revelationem gentium. Magnum est ergo discrimen, inter Mosen cum Prophetis & Christum. Illi parvam mundi portionem suis concionibus illuminarunt, ideo à Petro lucernæ conferuntur, splendenti in obscuro loco, donec dies illucescat, 2. Pet. 1. v. 19. Christus autem est ipse *φωτός*, imò sol iustitiae. Mal. 4. v. 2. Ex quo patet Christum unicum & solum esse veram *lucem*, neque quenquam alium præter ipsum quicquam lucis mundo dare. Quemadmodum enim unus sol universo mundo sufficit, & omnis lucis quasi unicus fons est: ita Christus JESUS cœlestis & spiritualis lucis unicus autor est, neque quenquam alium ad hujus honoris societatem admittit. Jes. 42. v. 8. Quod verò Apostoli Matth. 5. v. 14. etiam lux mundi dicuntur, illud tantum participatione lumen ipsius intelligi debet. 2. Quia etiam Christus totius *mundi lux* est, conductit illud ad retundendam fatalem illam particularitatem, quasi certa hominum pars, pecunia & occulto quadam DEI decreto ad æternam damnationem esset creata & prædestinata, si quidem DEUS alia ratione iustitiam suam exercere non potuisset. Hæc est perniciose sententia, miserias peccatorum conscientias ad desperationis bârathrum facile impellens. Hisce cum desperatione luctantibus ex hoc loco inculcandum est, nullius hominis conditionem sive propter peccata sive propter calamitates immislas adeò miserandam esse, ut propterea à Christi consortio se exclusum esse arbitretur, ut enim in domo aliqua lucerna acceditur propter tenebras, & accessa candelabro imponitur, quo omnibus in domo, infimis cum summis, luceat: Ita Christus *vem lux* in hunc mundum venit, ad dissipandum regnum tenebrarum, & in Ecclesia candelabro ministerii impositus, omnibus ex a quo inservit, quicunque lucis & salutis desiderio tenentur.

5. Interim tamē non negligendum est, quod simul additur & quo Christus monet, quid illos facere conveniat, qui hac luce ad salutem frui velint: qui *sequitur me*, inquit, *non ambulat in tenebris*. Hoc membro applicatio ad salutem continetur. Ut enim visibilis hic mundi sol, sufficiens quidem est, ut præbeat lumen omnibus homini-

Harm. Tom. I.

bus: Interim tamen nec cœcos, nec oculos claudentes illuminat. Ita quoque Christus non præbet lucem illis, qui obstinatè & pervicaciter oculos occludunt, & tenebras plus amant, quam lucem: sed iis, qui ipsum sequuntur, & post ipsum ambulant. *Sequi autem Christum*, non est pedibus eum sequi, ut turbæ & multi impii illud olim fecerunt, & Joannes quoque Marc. 9. v. 38. sequelam Christi intellexit. Sed est ejus doctrinam suscipere, ipsum pro vero mundi Messia agnoscere, colere & invocare. Veram igitur fidem charitatem & obedientiam sequela Christi complectitur. Sicuti Christus ipse explicat, Joh. 12. v. 36. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Et rursus v. 46. Ego *lux* in mundum veni: ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Ergo qui Christum non sequitur, nec in eum credit: is in peccatis suis manet & perit, neque perditionis sua culpam in quemquam alium, præterquam in seipsum, conserre potest. DEUS enim Pater *lucem* hanc dedit toto mundo. Filius sufficiens *lux mundi* est pro omnibus hominibus. Spiritus sanctus salutiferam hujus lucis cognitionem omnibus nationibus offerri curavit, & ne unum quidem hominem exclusit. Qui cunctus ergo hac luce non fruuntur, illi seipso excludunt, eo quod oblatum lucis beneficium propria malitia excutiunt, sive in tenebris suis miseri pereunt. Confutat ergo hoc Puccianismum, qui multorum hominum animis inhæret, dum putant, unumquemque in sua religione salvum fieri posse, dummodo animi ipsius intentio bona sit & sancta. Ethi omnium hominum commodissimi videri volunt, eo quod neminem temere damnent. Verum dum hominibus parcunt, in ipsum DEUM injurii & contumeliosi sunt, Scripturis vim faciunt, omnem religionem conculcant, & sanctos Christi martyres rident, quod pro fide Christi sanguinem fundere voluerint, cum etiam in alia religione salvi fieri potuissent.

6. Ultimo, etiam fructus divinae hujus *lucis* considerandus venit, quem duplicum Christus ponit. Primum: *Non ambulabit in tenebris*. Hic fructus jam in primo membro hujus concionis expositus est. Alterum: *Habebit lumen vita*. Intellegit non tantum vivificam veri DEI & salutis cognitionem, sed etiam, ut Augustinus vult, continuationem ejusdem ad vitam usque æternam. Ut sic per Christi gratiam non tantum in hac vita anima per cordis illuminationem spiritualiter vivere incipiat, sed etiam continuis actibus ducatur is, qui post Christum ambulat, ad sempiternam salutem. Alia enim ratio est cœlestis hujus lucis, & alia lucis mundana. Solis lux, quā tamen nulla est clarior, per nubes hebetari, per noctem tota sepe liri potest, ut jam taceam lucem candelarum, quam pluviae & venti extinguere possunt: at Christi lux a nemine impediri potest, illa in tenebris, in adversitatibus, in media morte credentes non destituit, sed ad felicem perpetuitatem comitatur. Est hic effectus admodum magnus & salutaris. Gentium Philosophi intellexere aliquo modo, quod mens humana in magna caligine ignorantiae versetur, ac proinde studio Philosophia lucem aliquam succendere conati sunt. Et licet aliquo usque sint progressi: non tamen *lumen vita* cuiquam communicare potuerunt. *Lumen naturæ aliquo*

Xxx 4

aliquo

aliquo modo juvarunt, & in eo lumen intelligentie atque sapientiae aliquatenus accenderunt, at *lumen vite nullus eorum habere potuit*. Pharisai quoque ipsi multum sibi tribuerunt, quasi spirituales tenebras fugare potuissent. Sed revera tenebras potius suis electoribus offuderunt, quam lumen communicarunt, ut jam jam audiemus.

II. Sequitur aliud membrum notatum dignum. In praecedenti septimo capite Pharisai quidem & turba varia de Christi concione judicis habuerunt: non tamen aperte concionem interturbarunt. In hoc vero capite Johannes eosdem introducit aperte Christo interloquentes, quod absque dubio fecerunt, Nicodemus sermone irritati, quod nemo sit condemnandus, nisi prius auditus & convictus fuisset. Iohann. 7. v. 51. Tanta enim vis tenebrarum in ipsis fuit, ut malitiosi se se huic cœlesti luci opponere conati fuerint. Desumunt autem argumentum ex lumine nature. Vulgo dicitur: Propria laus sordet. Et Salomon idem confirmat, inquiens: Prov. 27. v. 2. Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua. Hinc Pharisai ita argumentantur: *Tu de teipso testificaris*. At nulli de seipso testificanti fides habetur: ob falsitatis suspicionem, quod testimonium illud ex *Philosophia* profectum videatur. Ergo *testimonium tuum non est verum*. Magna haec fuit Pharisaeorum petulantia & temeritas, quod Jesum, qui haec tenus innocuam inter ipsis transfergerat vitam, & in cuius ore nullus dolus inventus fuit, Iesa. 53. v. 9. falsitatis & mendacii insimulare audent. Fieri enim potest, ut etiam is, qui seipsum laudat, vera dicat. Eandem impudentiam hodie Jesuitæ multoties imitantur: quando nimirum sinceram Evangelii doctrinam novitatis, obscuritatis, insufficientia & falsitatis accusant. Quod tamen tam verè Evangelio objiciunt, quam verè Pharisai hic falsitatis suspicionem Christo. Cujus proinde responsionem audiamus.

Refutat autem Pharisaeorum objectionem tribus rationibus, i. Primam rationem desumit à sua legatione, qua in præsentia fungatur. Proponit autem eam per concessionem. *n. a. v.*, *Etsi Ego testimonium perhibeo de meipso, verum tamen est testimonium meum*. Ratio: *quia novi, unde veni, & quovadis. Vos autem nescitis*. Vis hujus argumenti dependet à conditione legatorum, quibus concessum est de seipsis testari apud peregrinos. *Quia ipsis solis constat, à quo sint missi, & quoque finis legationis ipsorum se extendat*. Perinde igitur loquitur, ac si quis à Cæsare ad rebelles ipsius subditos alegatus diceret: *Ego novi unde venerim: quid in mandatis acceperim: & quo expedito legationis munere redditurus sim*. Cæsaris ago legatum: ab hoc in mandatis accepi, quæcumque vobis proposui, ad eundem redibo, & gesta legationis rationem sum redditurus. Testificor itaque, vera esse omnia, quæcumque nomine Cæsaris vobis proposui. Est autem in hac prima Christi ratione probè notandum, quod Christus, licet potuisset aliunde testimonia adducere, quibus se veram lucem esse probaret, tamen id facere noluit, ut sic commonstrareret, se sui ipsius & suæ doctrinae satis idoneum & sufficientem testem esse. Quod notandum est contra Jesuitas, qui Scripturam sacram & Evangelii doctrinam, non ex seipso ex-

plicari & probari, sed aliunde, vel ex Ecclesiæ autoritate, vel Patrum & Canonum testimonij, confirmari debere volunt. Quasi verò sol Sibi ipsi suo splendore non sufficiens testis sit, nisi illata aliunde alia luce quasi illuminetur, & hominibus innnotescat. Sic Evangelium sibi ipsi est *avertens*, & Christi doctrina ipsa se ad vitam æternam declarat, ut alio testimonio non indigeat.

2. Secundam rationem, ob quam Pharisaeorum argumentum Christus reicit, desumit ab iniuitate judicii iporum. *Vos secundum carnem judicatis*. Vult dicere: *Quicunque secundum carnem, hoc est: ex carnali & humano affectu judicat, ejus judicium non est attendendum*. Sunt enim talia præconcepta judicia semper corrupta & perverla: quia ex affectu fiunt. Vos de mea concione ex tali carnali præjudicio pronunciatis. Cum enim *secundum carnem plus in me non cernatis*, quam *ψιλὸν αὐθεωπτὸν & purum me esse hominem*: ideo judicatis me non posse *mundi lucem esse*: verum ad dijudicandum hoc negocium, non caro, cui vos toti addicti estis, sed Spiritus, quo vos caretis, est adhibendus. Ex hac ratione patet, unde proveniat omnis ignorantia & error, de Christi tum persona tum doctrina: nimirum exudicio carnis, quæ stulta & coeca est in rebus divinis. Ideo Paulus recte dicit: *Stultitia ipsi est, quicquid de DEO dicitur, non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur*. Spiritualis autem judicat omnia. 1. Cor. 2. v. 14. Sic *secundum carnem* judicant Jesuitæ, quando agitur de Christi regno vel Ecclesia, quam mundano quodam splendore & eminencia præ reliquis mundi regnis nobis commendabilem esse debere opinantur. Et quia apud nos Evangelicos ille splendor dominationis, successionis ordinariae, applausus totius mundi, non inventur: Ideo veram Ecclesiam apud nos non esse judicant. Sed *secundum carnem* judicant, non minus quam Pharisai.

Poterant autem hi ipsi Christo objicere: *Tu in tuis concionibus etiam nos judicas, & traditiones nostras reijsis*. Ad objectionem illam Christus sic respondet: *Ego non judico quenquam. Et si judicem ego, judicium meum verum est. Quia solo non sum, sed ego, & qui misit me, Pater. Vis hujus responsionis omnis latet in diverso sensu atque usurpatione verbi *judicare**. Pharisai & Pontifices Judæorum *judicabant* politicè, hoc est, emittebant ministros, qui Jesum captum adducerent, quo vinculis mancipatum occiderent. Idque faciebant *secundum carnem*, ex carnali affectu & odio adversus ipsius personam. Hoc sensu verè dicit Jesus: *Ego non judico quenquam*. Neque enim tum venerat ad dijudicandum mundum: sed ut mundus per ipsum salvaretur, Joh. 3. v. 16. Interim tamen nihilominus Jesus quoque *judicabat* Pharisaeorum doctrinam, traditiones & mandata hominum: sed Theologice sive Ecclesiastice, non *secundum carnem*, non ex odio ipsarum personarum, sed ex commiseratione erga feductos: nec in eum finem, ut ipsi vinculis constringerentur, in carcere conicerentur, & tandem trucidarentur: sed ut agniti erroribus, ad DEUM converterentur & salvarentur. *Hoc judicium verum & justum est: quia Jesus non solus est, sed & Pater, qui misit eum, hoc est, in hoc judicio Jesus adhibet, seu Regulam, voluntatem*

rem sui Patris, qui antiquitus per Mosen & Prophetas sincerum suum cultum præscriptis quem quia Judæi adulterarant, Pater misit filium, ut reduceret filios Israel & converteret ad Dominum DEum suum, ut de Johanne angelus dixit, Luc. 2. v. 17. Hanc diversam rationem judicandi sive condemnandi probe notare debemus, ne in praxi Theologica aberremus, aut fines legitimos exce-damus. Etenim damnamus & nos in nostris Ecclesiis quosvis errores & hæreses, sive Manichæismus, sive Synergismus, sive Calvinismus nuncupentur, sive alio nomine veniant. Non autem damnamus politice, quasi errantes propter errores suos proscribi, in carceres compingi, carnifici tradi, excruciani, comburi & occidi deberent. Hoc modo Jesuitæ & Antichristi Ecclesia judicat & condemnat. Christus autem & ipsius Ecclesia hoc modo non judicat aut condemnat quenquam. Sed si quen illa condemnnet, facit id Theologice, hoc est, errorem ex verbo DEI communiat, refutat, cumque refutatum vitandum docet, ne plures seducantur, sed potius ut ipsi etiam errantes in viam reducantur atque salventur. Ethoc judicium verum est: quia sit juxta normam & regulam verbi divini, quod ipse Pater tradidit.

3. Tertia ratio, qua Christus Phariseos refutat, desumitur ex ipsorum lege. DEUS cum in lege sua, quam vos Judæi suscepistis (& hac de causa lex vestra dicitur) formam legitimij judicii consti-tueret, Deut. 17. v. 6. & 19. v. 15. ordinavit, ut si duas personæ de una eademque re uniformiter depo-nerent, eorum testimonium pro vero & legitimo haberetur. Cum ergo in hac causa, quod Ego sum lux mundi, non tantum Ego testif, sed etiam Pater meus, tum verbo Iesa. 49. v. 6. tum operibus, Joh. 10. v. 37. æquum est, ut testimonium hoc pro vero, legitimo & sufficienti suscipiatis. Hujus rationis firmitas quoque est attendenda. Posset enim ea bifariam ab hominibus abhæc oppugnari. Nam primum, non semper duorum testimonium verum & legitimum esse deprehenditur: siquidem 1. Regum. 2. v. 10. duo testes fuere producti contra Naboth: Daniel. 13. v. 36. duo seniorum testificati sunt contra Susannam: Matth. 26. v. 60. producere duo testes adversus Jesum: & tamen hæc testimonia omnia non fuerint legitima. Deinde leges civiles neminem admittunt testem in propria causa, imò nec patri aut cuiquam alteri in pro-pinqiori gradu consanguinitatis testandi potest. Et Christus hic in propria causa Patrem suum allegat. Sed latum discrimen ponendum est inter Christum de seipso testificantem, qui est verus DEUS, & inter homines. Debet ergo hæc ratio à Christianis ita suscipi, quod sit argumentum à minori ad majus. Si secundum legem testimonium duorum hominum, qui & falli & fallere possent, legitimum tamen habetur, & pro vero recipitur, quanto magis duarum divina-rum personarum, in quas nulla erroris vel falsitati ne suspicio quidem cadere potest? Notari ergo decet hic locus & contra Sabellianos sive Patri-passianos & contra Arianos. Contra illos: quia audimus, quod licet DEUS unus sit essentia, tamen in illa unitate admittatur pluralitas personarum: ita ut unum, duo, tres, numerare licet. Sicuti Christus numerat, Ego & Pater. Item Ego non sum

sols. Ergo dicere possum. Alius est filius à Patre. Non quidem aliis DEUS, sed tamen alia persona. Rursus, licet Filius alia sit persona à Patre: ean-dem tamen sibi cum Patre autoritatem & fidem tribuit: quia dicit, Ego sum qui te feci, & pater est qui restatur, siveque seipsum cum Patre in eodem gradu collocat, quod facit contra Arianos.

III. Hisce tribus rationibus Dominus satis evi-denter suæ doctrinæ autoritatem vindicasset, si ipsi cum docilibus auditoribus res suisset. Verum quia Antagonistas habet homines pervicaces, quibus non veritatis, sed Christum opprimendi studium propositum erat: ideo, postquam ejus testimonium ex fundamentis refutare non pos-sent, ad fannas & irrisiones se convertunt: sicuti idem Jesuitis & aliis phanaticis solenne est. Rati-onæ in colloquio, Grezerus & Tannerus Lojolite, si quando nihil habebant quod ad rem re-sponderent, lepidum aliquod scomma in medium proiecserunt, ut risum auditoribus moverent: quin & ipsi effuse riserunt. Sic Pharisei hic arbitri-antur, se splendidum scomma reperiisse, quod Je-sus Patrem suum nominaliter. Inquirunt igitur: ubi est pater tuus? Sperant se hic aliquid conlectari posse, quod exagent. Si enim DEUM Patrum suum diceret: posse se ipsum impietatis coram po-pulo accusare, quod divini honoris affectator, & propterea morte dignus esset. Sin putatitum suum patrem Josephum produceret, tum fannis eum excepturi erant: Egregium sanè patrem, di-gnum cujus testimonio contra Phariseorum & Pontificum Collegium nitaris, qui pauperculus est, adhæ faber lignarius & idiota. Hic est finis hujus Pharisaicæ questionis: ubi est pater tuus? Fi-deles verbi ministri hoc notent, ne nimium in-dignentur, si ipsis quoque interdum in religionis negotio res est, cum ejusmodi Ironibus, qui omnia subsannant, & meritis irrisionebus ac scom-matibus ipsos aliorum ludibrio exponere conan-tur. Quo in artificio cumprimis excellunt Jesuitæ & Calviniani. Hisce autem non moveantur: sed cogitent illud: Non est discipulus supra magi-strum: si patrem familias Beelzebub vocarunt, quanto magis domesticos ejus? Matt. 10. 25.

Audiamus potius, qualem Christus se in hoc ca-su præbeat. Non directè respondet: quia novit sycophantas subsannaturos, quodcumque tandem responderet, siquidem non discendi studio inter-rogarent, sed tantum, ut haberent, quod calum-niarentur. Quapropter potius fontem ipsis ape-rit, & monstrat, unde profluat illa malitia, quod non tantum doctrinam & testimonium ipsius non suscipiunt, sed etiam eidem contradicunt. Dicit enim: neque me nosisti, neque patrem meum. Si me novissetis, etiam Patrem meum novissetis, av, utique. Objicit Iudeus ignorantiam & sui & veri DEI, abs-que qua si esset, nequaquam adeò procaciter ipsi responsaturi essent. Si quidem ex hoc fonte igno-rantiae talia dictoria promanent. Res autem mira videtur, Iudeis velle DEI ignorantiam exprobra-re, cum David cecinerit: Notus in Iudea DEUS: in Israel magnum nomen ejus. Tabernaculum ejus est in Salem: & habitatio ejus in Sion: Psal. 76. 1. At-qui Dominus Jesus in ipsa urbe Jerusalem ipsis DEI ignorantiam objicit. Hoc si rectè intelligere veli-

velimus, sciendum: DEUM ab hominibus in seipso cognosci non posse, nisi operibus, beneficiis & verbo suo se manifestet, ac proinde talem cognosci debere, qualem is se manifestat. Jam vero DEUS se Iudeis manifestarat in verbo suo, non tantum quod esset creator coeli & terrae: nec tantum quod maiores ipsorum eduxisset ex Aegypto: quatenus sane utcunque noverant DEUM: sed etiam quod misurus sit filium suum in mundum, ut fiat semen mulieris, Gen. 3. v. 15. qui miseros mortales consolatus sit ab operibus & laboribus manuum ipsorum in terra, cui ob peccatum maledixit Dominus, Gen. 5. v. 29. qui in sanguine testamenti sui liberaturus sit vincens de lacu, in quo non est aqua: Zach. 9. v. 1. ut sic Israel salvetur in Domino salute eterna. Ies. 45. v. 17. Hæc est vera & salutaris DEI notitia, qua Iudei in solidum carebant. Si agnoscissent & credidissent huic Iesum esse verum æternum & consubstantialem aeterni Patris filium, qui ex aeterno Patris decreto in mundum venisset, ut genus humanum ex interitu liberaret, nunquam ita scotice interrogassent: ubi est pater tuus? De tali spirituali liberatore & redemptore nunquam quicquam ipsi cogitabant: tantum talem Messiam exoptabant, qui profligatis Romanis ipsos orbis dominatores & dominatores efficeret. Hoc cum hunc Iesum in sua humilitate nequaquam præstare posse opinarentur, ipsum nec fontem vite, nec panem cœlestem, nec lucem mundi crediderunt. Recte itaque Christus hic ipsis monstrat, hanc ignorantiam unicam causam esse errorum, scommatum & contradictionum,

Monstrat hic Christus suo exemplo, si cui in negotio religionis res est, cum scotice hominibus, quomodo juxta doctrinam sapientis, Prov. 26. v. 4. stulto non secundum stultitiam respondere debet, ne ipsi simili efficiatur. Iudei scotice interrogabant: ubi est pater tuus? & parati erant auditio responso nova scemata projicere. Christus Jesus autem, ut ulteriore irridendi occasionem rescederet, non respondet ipsis juxta eorum votum, sed potius, quia responsio molles frangit iram, Prov. 15. v. 1. monstrat ipsis causam, qui fiat, quod se ita malitiose ipsi opponant, si forsitan intra se reversi, animi virulentiam deponerent, seque emendarent. Hoc Christi exemplum pii doctores imitentur. Si nihil proficiunt, DEO rem commendent: interim ipsis habent testimonium bona conscientia, quod sua austerritate & morositate causam non deteriorem reddiderint. Alio tempore DEUS occasionem præbebit acrius hostes urgenti. Sicut etiam Christus in hoc ipso capite faciet.

Simile etiam Christus hoc docet, extra se nullam cognitionem DEI esse salutiferam. Daemones noverunt DEUM, sed contremiscunt. Jac. 1. v. 19. quia eum noverunt sine Redemptore. Gentes ex creaturis talem habuerunt DEI notitiam, ut essent inexcusabiles. Rom. 1. v. 20. sed nihil ea ipsis prodest ad salutem, quia fuit notitia sine Christo. Iudei noverunt DEUM mundi creatorem, Iudaicis vin-

dicem, majorum suorum benefactorem: verum quia Messiam missum respuerunt, haec notitia verget ad tanto maiorem ipsorum damnationem. Hac de causa Christus ipse Joh. 17. v. 3. in verâ DEI cognitione hæc duo conjungit: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEUM, & quem misisti Christum Jesum. In Christo Jesus enim habemus DEUM Salvatorem, extra Christum habemus eum Judicem,

IV. Postremo indicat Evangelista etiam locum in quo Christus hanc concessionem habuerit, nimirum in gazophylacio, docens in templo. Gazophylacium in Hebr. רְבָנָה cella fuit, vel camera, sive conclave circa templum Domini in Jerusalem, pro reponendis vestibus, sacrificiis, donariis, & instrumentis sacris, item pro habitationibus Levitarum, Ezech. 40. v. 17. numerantur hujusmodi cubicula trinaria, qua ibi Græcè nomina tur μαστόες, παροπάτοιον autem, Hieronymo in 22. c. Ies. teste, thalamus fuit, in quo habitavit praepositus templi. Non ergo hic intelligenda est arca, in quam colligebatur pecunia, qualiter 2. Reg. 12. v. 9. Pontifex Joachim reposuit in templum, ut in ea pecunia ad sarta testa templi reponeretur, sicut vulgaris versio ibi gazophylacium ponit: sed significat hic conclave amplius & primarium, in quo thesauros templi, veluti in ærario asservabatur. Ῥάδη enim Hesychio teste, est Persica vox, significans regiam cum suppellectile sua, adeoque res preciosas. Hac vero loci notatione Evangelista innuere voluisse videtur, fuisse hanc concessionem cum primis solemnem, cujus etiam singulas circumstantias novissime operæ precium sit. Et quia Christus sibi hunc locum adiit, sicut etiam Marc. 12. v. 41. speciativitatem donaria, quæ ad arcam gazophylacii afferabantur, inde colligere licet, Christo non improbari, quod Ecclesia publicas opes habet: duntaxat illæ non impie corradiantur, sicut in Papatu venditione indulgentiarum & opinione mercandi celli factum est, nec ad factum aut superbiam usurpentur. Antiquitus autem Ecclesiæ pecunia ad quadruplicem usum adhibebatur. 1. ut docentes Ecclesiæ honesta haberent salario: 2. ut schola juxta templum instituerentur: 3. ut pauperes & egeni alerentur: 4. ut sarta testa templorum & ædificiorum conservarentur. Absque his si sit, thesauri Ecclesiæ non prosunt. Simil tamen hic divina providentia efficacia consideranda venit. Iesu singulari cum animi πρέπησι acerbissimis suis hostibus sua vita & defectus objicit: & tamen DEUS ipsum tutum servat, licet hoc factum sit in templo, hoc est, licet locus, tempus & cætera omnia pro inimicis contra Christum facerent. Hoc orantes pios animare debet, ad fortiter faciendum suum officium, ad libere & intrepide loquendam veritatem, etiam in conspectu hostium, cum DEUS suos in medio ipsorum versantes, servare queat.

CAPUT

CAPUT CII.

CONTINENS ALIAM CONCIONEM CHRISTI, HIEROSOLYMIS IN TEMPLO HABITAM, DE SUA PERSONA, ET DE NATURALI JUDÆORUM, ADEOQUE OMNIUM HOMINUM, CORRUPTIONE.
JOHAN. 8. v. 21.

RATIO ORDINIS.

BTilla quidem in Gazophylacio acta sunt. Post illam vero concionem πάλιν iterum, hoc est, alio tempore, instituit JESUS repetitio- nem & planiorem declarationem eorum, quæ proximè dixerat. Multos autem locos doctrinæ tum in hac sua repetitione, tum in sequenti acri cum Pharisæis concertatione trahit: de persona & officio suo: de sua passione: de verbi sui efficacia. Præcipue vero doctrina de peccato originali, quid illud sit: de ejus causis & effectibus: nullibi in tota Evangelica historia, tam multis verbis, & tam clare explicatur, quam in hac concione & sequenti concertatione. Probè igitur hæc sunt observanda: quia sedes doctrinæ de peccato originali in hac Evangelica historia continetur. Est autem quoque notanda emphasis, vocabuli *iterum*. Eo enim Evangelista ad precedentes historias respicere videtur. Sciebat JESUS Pontifices & Pharisæos, finito festo tabernaculorum, de se opprimendo in Synedrio suo consultasse. Nuper quoque admodum improbè eum.

tentarant in templo, ob mulierem adulteram. Rursus eundem sarcasticè exceperant ad gazophylacium, & concionem ejus salitatis insimularunt. Ita ut abundè satis causa habuerit ab ingratis & contumacibus discedendi. Sed superavit ipsius bonitas hostium malitiam, & ad docendi munus denuò rediit, ne paucorum horum improbitas reliquorum saluti, qui converti adhuc poterant, fraudi esset. Eadem Christi bonitas adhuc hodie durat. Etsi enim salutifera Evangelii doctrina multorum improba vita polluatur: etsi quoque eadem à multis hostiliter oppugnetur: non tamen desistit verbi sui lucem accendere, eandemque in mundo conservare, donec electorum numerus sit completus. Christi exemplum verbi ministri imitantur, nec patiantur se improborum malitiam & scommata abstergere, quo minus bonis ministerio suo serviant. Quin etiam alii omnes, juxta Pauli doctrinam Galat. 6. v. 9. beneficiando non segnescant. Habituri enim sunt bonorum suorum operum largam remunerationem in cœlis reputam.

REPETITIO DE PERSONA CHRISTI ET JUDÆORUM
CORRUPTIONE JOHAN. 8.

21. Εἶπεν ἐν τῷ πελὶν αὐτοῖς ὁ Ἰησός· Ἐγὼ ἡ τούτῳ, καὶ οὐτίς μέρες ἀμαρτίαν ἀποθανεῖσθε· οὐδὲ ἔγω τούτῳ, οὐτες εἰς διωκτήσθε ἐλθεῖν.
22. Ἐλεγον τὸν οὐτεδοκιμούνταντον εἰσαγγελέαν, οὐδὲ λέγει, ὅτι ἔγω τούτῳ, οὐτες εἰς διωκτήσθε ἐλθεῖν;
23. Καὶ ἀπέν τούτοις ὑμεῖς εἰς τὴν πάτωσιν, ἔγω ἐν τῷ ἀνώ εἰμι. ὑμεῖς εἰς τὸ κοσμόν τάχατε, ἔγω σὺν εἰμὶ εἰς τὸ κοσμόν τάχαται.
24. Εἶπον ἐν ὑμῖν, οὐδὲ διποθανεῖσθε εἰς τούτοις ἀμαρτίας ὑμῶν· εἴναι δὲ μη πιστεύσητε διὰ τούτου εἰμι, διποθανεῖσθε εἰς τούτοις ἀμαρτίας ὑμῶν.
25. Ἐλεγον ἐν αὐτῷ, σὺ τίς εἶ; Καὶ ἀπέν αὐτοῖς ὁ Ἰησός· τὸν δοχεῖον οὐ καὶ λαλῶ οὐδὲν.
26. Παλλαξχω τοῦτον λαλέντα καὶ κρίνεν, αλλὰ πέμψας με σὺν θεῷ, καὶ γω ἀγκυραν πάρεις αὐτόν, ταῦτα λέγω εἰς τὸ κοσμόν.
27. Οὐκέπινωσεν ὅτι τὸ πατέρα αὐτοῖς ἔλεγον.
28. Εἶπεν ἐν τῷ πελῷ τούτοις ὁ Ἰησός· οὐταντινούσιν τούτων τοις γνωστοῖς, οὐδὲ ἔγω εἰμι, καὶ απέ εμαυτῷ τοῖς τούτοις αἰδαν καθὼς εδιδαχέμεο πατήσει με, ταῦτα λαλῶ.
29. Καὶ ὁ πέμψας με μετέ ἔμεν, τὸν αὐτὸν με
21. Dixit ergo iterum eis Iesus: Ego vado, et queretis me, et in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire.
22. Dicebant ergo Judei: num interficiet semetipsum? Quia dicit, quod ego vado, vos non potestis venire.
23. Et dixit eis: Vos ab infernis estis, ego est supernus sum: Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.
24. Dixi ergo vobis, quod moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis, quod ego sum, moriemini in peccatis vestris.
25. Dicebant ergo ci: Tu quis es? Et dixit eis Iesus: Impresum quod et loquor vobis.
26. Multa habeo, que de vobis loquar, ac judicem: sed qui me misit, venax est, et ego, quae audiui ab eo, haec loquor in mundo.
27. Non cognoverunt, quod de Patre eis locutus esset.
28. Dixit ergo eis Iesus: Cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis, quod ego sum, et quod ex me ipso factio nibilis, sed ita ut docuit me pater meus, haec loquor.
29. Et qui me misit, mecum est. Non reliquis me.